

juxta formam concilii Trident. contrahant, manifesto argumento, quod concilium pro revalidatione matrimonii ob impedimentum occultum invalide contracti dictam praesentiam parochi et testium non requirat.

Atque haec in librum IV, dicta sufficiant, atque iudicio et correctioni sanctae matris Ecclesiae in omnibus humillime subiecta sint, sitque et maneat in omnibus ac per omnia,

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

ADNOTATIONES

IN TOMUM QUINTUM ANACLETI REIFFENSTUEL

ADNOTATIO I.

Lib. III. Decretal. Tit. XXXI, de Regularibus et transeuntibus ad religionem; § I, n. 14; pag. 4.

VOTUM SOLEMNE QUID? ET DE VOTO SIMPLICI CASTITATIS IN SOCIETATE JESU.

« Pro intellectu decretalis *Quod votum*, tit. XX, *De voto et voti red.* in 6, cap. un. notare juvat quod, tempore Bonifacii VIII, ex cap. 6, *Rursus*, lib. IV, tit. VI, *Qui clerici vel vov.* votum solenne castitatis jam dirimebat matrimonium postea contractum, non sic votum simplex. Dubitatur tamen, ut notat hic Glossa, quandonam tale votum dici debeat solenne. Ad quam dubitationem removendam praemittit Pontifex quod ipsa voti solemnitas non inest voto per se, sed ex constitutione Ecclesiae; postea veniens ad dubii solutionem, definit votum tunc solum dici solenne, quando solemnizatum fuerit per susceptionem ordinis sacri aut per professionem expressam vel tacitam factam in aliqua religione per Sedem apostolicam approbata. In aliis vero casibus censendum esse votum simplex, impediens quidem aliquando matrimonium contrahendum, contractum tamen non dirimens. Circa haec plura sunt animadvertenda :

« I. Nedom voti solemnitate, sed etiam ipsam obligationem emittendi votum a suscipiente ordines sacros, esse in Ecclesia latina, ex instituto ejusdem Ecclesiae antiquissimo.

« II. Etiam votum emissum in ordinatione privata esse solenne. Inquit enim Pontifex votum solemnizari per susceptionem ordinis sacri; quae susceptio intervenit, sive ordinatio publica sit sive privata.

« III. Cum dicitur solemnizari per professionem expressam vel tacitam in religione approbata, id intelligitur de professione ibi emissa cum omnibus requisitis ad ejus valorem, ut in praecedentibus sectionibus notatum est.

« IV. Denique, licet Pontifex hic dicat reliqua vota impedire quidem quandoque matrimonium contrahendum, non tamen rescindere jam contractum, excipienda nihilominus sunt vota castitatis, paupertatis et obedientiae, post biennium probationis emissa in Societate Jesu; haec enim quamvis simplicia sint, simplex tamen castitatis votum, quo se Jesuitae obstringunt, est impedimentum dirimens matrimonium postea contractum, vigore constit. Gregorii XIII, *Quando fructuosus*, 1582; et alterius *Ascendente Domino*, anno 1584. Circa quas tamen constitutiones Benedictus XIV, *De syn. diac.*, lib. XIII, cap. XI, n. 29, notat quod in privilegio, pro hujus instituti confirmatione emanatis, expressa inest declaratio quod vota praedicta votentem obstringant quosque idem in religione permaneat, eorum autem vinculo exsolvatur statim ac a superioribus e Societate dimissus fuerit. Quae verba significant quod si quis exeat ex libitu suo, et non dimissus a superioribus, emissum ab eo in eadem Societate castitatis votum pro ipso adhuc sit legitimum impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, propterea indigeat dispensatione, antequam illud contrahat. Non dirimit tamen matrimonium ratum praecedens, quia hujusmodi vota, etiam publice emissa, manent simplicia ex attestatione laudat: Gregorii apud Sanchez, Giribaldum et alios, nec constituunt personam immobiliter religiosam, alias postea dimitti non posset a superioribus, aut ab iisdem dimissus libere posset aliam ducere adhuc vivente prima, in eo statu, in quo eam reliquit, matrimonii quidem rati sed non consummati, unde ob frequentiam casus plura orirentur diceria et scandala. Concludendum igitur est ipsa non dirimere matrimonium ratum praecedens, ac ita se habere, quantum ad hoc, ut aliud quodcumque votum simplex.

« Hic addendum censeo quod, quando Pontifex, loquendo de aliis votis simplicibus, dixit ista quandoque impedire matrimonium contrahendum, ideo addidit particulam *quandoque* quia revera emitti potest aliquod votum simplex, quod tamen matrimonium non impediatur contrahendum. Sic qui

vovet solum castitatem partialem, puta non petere debitum, non impeditur a matrimonio ineundo, sed potest istud contrahere sibi nupte petenti reddere.» (Giraldus, *Expositio juris pontifici juxta recentiore Ecclesie disciplinam*, part. I, sect. 553.)

AN DENTUR HODIE IN GALLIIS ET BELGIO, IN STATIBUS UNITIS AMERICÆ SEPTENTRIONALIS, ET ALIIS FORSAN REGIONIBUS VOTA SOLEMNIA ?

Expendetur quæstio quoad religiosos primum, dein quoad moniales.

I. Quoad religiosos, cum uberrimo fructu consulent juris canonici studiosiores Tractatum *De jure regularium*, a D. Bouix luculenter scriptum, Parisus, Lecoffre, 1857, part. III, sect. III, ubi, inter cætera, statuitur illa propositio scilicet quod lex sæcularis, incapacitatem domini in religiosis non agnoscendo, nequaquam impediatur incapacitatem illam et votorum solemnitate. Hic attingemus tantum decisiones præcipuas Sedis apostolicæ ad rem spectantes.

« Decretum Sacræ Congregationis Episcoporum et regularium, die 9 julii 1837 ... V. An concedi debet facultas eidem superiori (Reverendissimo D. Guéranger, ordinis S. Benedicti in Galliis restitutori), cum reversus fuerit ad monasterium (Solesmense in diocesi Cenomanensi) admittendi ad solemnem professionem omnes illos qui cum ipso per quatuor annos vixerunt? — Sacra Congregatio respondit affirmative pro his qui vota simplicia emiserunt, præviis spiritualibus exercitiis; et pro his, actu in monasterio existentibus, qui decem et octo menses in novitiatu expleverint, arbitrio superioris cum suo capitulo. » De fratribus conversis seu laicis sic pronuntiant litteræ apostolicæ, quibus approbantur Benedictinorum Solesmensium constitutiones et « Expleto biennio et die, a publica susceptione cappæ, professionem emittent; sed eorum vota erunt tantum simplicia. »

Jam anno 1836, RR. DD. Bouvier, episcopus Cenomanensis. Sacram Pœnitentiariam consuluerat his verbis: « Cum ex pluries decisio votum monialium in Gallia uti simplicia a Sancta Sede restituerentur, sequentia nascuntur dubia: 1^o... 4^o An de votis virorum idem dicendum sit ac de votis monialium, ut videtur? » Responsum fuit: « Sacra Pœnitentiaria, perpensis diligenter propositis dubiis, factaque præmissorum relatione Sanctissimo D. Gregorio PP. XVI, respondit ad primum...; ad quartum, decreta per Sacram Pœnitentiariam alias edita spectare solummodo ad moniales. »

In epistola ad clerum directa, die 15 januarii 1836, sic loquitur archiepiscopus Mechliniensis: « Sanctissimi D. N. voluntas est ut regularium, quos in Belgio iterum congregari contigerit, exemptio conservetur; cujus utilitas (sunt ejus verba) ecclesiasticis sanctionibus, longaque sæculorum plurium experientia, et vel ipso hæreticorum et

incredulorum in illam odio, comprobata est. » Ub D. Bouix adnotat sequentia: « Non conservatam voluisset exemptionem Summus Pontifex præfati Belgii regularibus, si vota ipsorum solemnia esset desiissent, cum raro soleat concedi exemptioni privilegium iis congregationibus in quibus simplicia duntaxat vota nuncupantur. Ergo etiamnum solemnitas esse possunt in Belgio. Sed votorum solemnitas et domini incapacitas non magis in Belgio quam in Gallia, in legibus civilibus sancita aut agnita reperitur, prout notorietatis est publicæ, ergo existere potest votorum solemnitas et domini incapacitas independentem a sæculari potestate, et ex sola Ecclesiæ dispositione. »

Pro Carthusianis in speciali, anno 1851 capitulum generale, in magna Carthusia in diocesi Gratianopolitana celebratum, inter alia sancivit ut in posterum solemnitas professio non emitteretur nisi ab eis qui, per quatuor annos, in ordine versati fuissent cum votis simplicibus. Decretum autem illud eodem anno fuit a Sede apostolica approbatum. (D. Bouix, *ibid.* cap. III.)

Quoad religiosos Trappenses Gallie, ex informationibus a nobismetipsis, anno 1837 dum Romæ versaremur, apud D. Joannem Crociani, auditorem RR. DD. Soglia, patriarchæ Constantinopolitani et Sacræ Congr. episcoporum et regularium tunc temporis secretarii, susceptis, constat prædictam S. Congregationem, die scilicet 5 sept. 1834, eorum vota declarasse solemnitas. Sed relatione facta Sanctissimo D. Gregorio PP. XVI, tunc Pontifex mandavit iterum reteri, et quæstionem ad aliam Congregationem, Sancti Officii scilicet, expendendam remisit. Attamen decretum diei 5 sept. 1834 fuit typis recusum, et D. Tavenet, presbyter Congregationis Sancti Sulpitii, tunc Romæ degens, mihi testatus est se ejusdem decreti exemplaria impressa vidisse ac tenuisse. Porro, Sacra Congregatio Inquisitionis et Sancti Officii, die 4 martii 1837, responsum approbante Pontifice dedit, quod vicario generali Trappistarum Gallie innouit per litteras ex Sacra Cong. episcop. et regularium directas quarum tenor sequitur: « Reverendissime Pater. De Trappensium familiis istic feliciter restitutis nonnulla identidem dubia ad S. Apostolicam Sedem delata sunt. Ea proinde Sanctissimus D. N. discutienda commisit Eminentissimis PP. S. Congregationis S. Officii, atque universa rei ratione perpensa, cunctisque pro ipsius instituti ac locorum et temporis condiciones, momentis causarum animadversis, Sanctitas Sua, die prima hujus mensis, ex Patrum eorundem consilio, decrevit vota Trappensium, quæ ab ea die in posterum intra fines Galliarum regni emittentur, tanquam simplicia habenda esse; idque donec aliter a Sancta Sede Apostolica statuatur. Ad vota vero antea emissa quod attinet, Sanctissimus D. N. gravissimis ductus rationibus abstinendum censuit a quocunque judicio circa eadem proficere. Hæc idem Sanctissimus D. N. tibi, reverendissime Pater, significata voluit ut per te cate-

ris quæ tibi subjecta sunt monasteriis significantur. Datum Romæ ex Sacra Congregatione episcoporum et regularium, die 24 martii 1837, tui studiosus, J. A. card. SALA præfectus; J. Patriarcha Constantinopolitanus, secretarius. » (*Analecta juris pontifici*, serie V, col. 190.)

Idcirco cum, anno 1846, de monasterio Trappensium apud Staouelr in Algeria erigendo ageretur, ad episcopum Algeriensem directum fuit indultum sequens, cujus tenor præmemoratum decretum confirmat et extendit. « Ex audientia Sanctissimi, die 4 januarii 1845. Sanctitas Sua benigne annuit et propterea mandavit committi episcopo Julia-Cesareæ ut, attentis narratis, facultatem erigendi in abbatiam cenobium Beatæ Mariæ de Staoueli prope Juliam-Cesaream congregationis Cisterciensium B. M. de Trappa pro suo arbitrio et conscientia impertiat, servato tamen decreto diei 3 octobris 1834, præsertim quoad articulum decimum lato ab hac Sacra Congregatione; necnon firma declaratione circa vota Trappistarum Gallie diei 4 martii 1837; contrariis quibuscunque non obstantibus. » (*Ibid.*) Articulus decimus de quo supra sic se habet: « Quamvis monasteria Trappensium a jurisdictione episcoporum exempta sint, ea tamen ob peculiare rationes et donec aliter statuatur, jurisdictioni eorundem episcoporum subsint, qui procedant tanquam Apostolicæ Sedis delegati. » (Bouix, *Tract. de jure regular.*, t. I, pag. 468). Notandum quod huic regimini subjecti fuerunt Trappistæ primum Hiberniæ, dein Belgii, tandem omnes; iis exceptis ad monasterium de Casamari pertinentibus.

Attamen, nuperrime, preces enixe Sanctissimo D. N. Pio PP. IX nomine Trappensium oblatae fuerunt, quarum tenor sequitur:

« Beatissime Pater, Gregorius XVI sa. me. Pontifex maximus, die 4 martii 1837, declaravit vota Trappensium, quæ ab ea die in posterum intra fines Galliarum regni emitterentur, tanquam simplicia habenda esse, idque donec aliter a Sede Apostolica statuatur. Hæc declaratio a Sanctitate Vestra applicata fuit ad Trappenses in Hibernia deinde in Belgio, ac tandem ad omnes ubique locorum ipsi reperiuntur, iis exceptis quæ ad monasterium de Casamari pertinent. Interim vossu Sanctitatis Vestræ examinata est quæstio, utrum expediret prædictam declarationem omnibus Trappensibus jam communem stabili firmoque decreto confirmare, an potius decernere ut Trappenses, utpote monachi Cistercienses reformati, vota solemnitas, præstabilitis opportunis cautionibus et conditionibus, emittere valeant. Hanc ob causam exquisita fuerunt nonnullorum episcoporum vota, et auditi quoque sunt vicarii generales trium congregationum Trappensium, qui ad unum omnes, consentientibus episcopis supra memoratis, enixe instantesque a Beatitudinis Vestræ clementia expostulant ut, reddita iis votorum solemnitate, ardentissimo ipsorum desiderio annuere dignetur. Quare. »

Unde, feria quinta, die 5 februarii 1868, prodiit decretum sequens:

« Sanctissimus D. N. Pius, divina providentia PP. IX, in solita audientia R. P. D. Adessori Sancti Officii impertita, audita relatione supra scripti supplicis libelli, una cum Eminentiss. et Reverendiss. DD. PP. cardinalium Inquisitorum generalium suffragiis, decrevit juxta sequentem modum ut videlicet omnes monachi Cistercienses reformati vulgo dicti Trappenses ubicunque locorum, iis exceptis qui ad monasterium SS. Joannis et Pauli de Casamari in diocesi Verulana pertinent, post biennium novitiatus vota simplicia emittant ad triennium, quo transacto, vota solemnitas emittant possint et valeant, ita quidem ut professio votorum solemnitas ex justis et rationabilibus causis differri quoque possit, non tamen ultra quinquennium postquam emissa fuerint vota simplicia; servatis de cætero præscriptionibus et declarationibus a Sacra Congregatione super statu regularium editis. Contrariis quibuscunque minime obstantibus. Angelus ARGENTI S. R. et U. I. notarius. » (*Revue des sciences ecclésiast.*, fascic. martii 1868).

II. Quoad moniales. Quæstio primum movetur de monialibus Gallie et Belgii. Porro ex variis documentis constat harum regionum moniales hodie emittere vota simplicia. Ita, 28 novembris 1818, ad superiores Nannetensis seminarii responsum fuit: « Votum paupertatis, quod novæ Galliarum religiosæ, secundum articulum a gubernio adjectum, emittunt, non esse solemnitas, cum per illud bonorum suorum proprietatem ac dominium adhuc retineant. Proinde nec solemnitas esse alia duo vota castitatis et obedientiæ. » (Bouix, *Tract. de jure regular.* t. I, p. 501). Item die 23 januarii 1821 respondit Sacra Pœnitentiaria: « Novas Galliarum moniales, quæ institutum aliquod religiosum sectantur, in quo secundum ejus acceptationem atque approbationem ab Apostolica Sede factam, professionem solemnem ac solemnitas vota emittere deberent, et nihilominus per temporum circumstantias atque ex præfatis rationibus, vota duntaxat simplicia modo nuncupant, moniales profecto istas, licet maxima commendatione dignæ sint, dum hac saltem ratione Deo interim servare student, ipsas tamen in ordine ac religione sua vere professas dici ac censi non posse. » (*Ibid.*)

Inter alia dubia, Gallie moniales respicientia, postulaverat Cenomanensis episcopus: « 2^o An votum ingrediendi religionem Sedi apostolicæ adhuc sit reservatum? Die autem 2 januarii 1836 responsum est: Ad secundum affirmative; sed votum mulieris cujus intentio respexit ad monasteria, prout nunc in Galliis existunt, non est reservatum; quia scilicet monasteria eadem a Sede apostolica, attentis peculiaribus circumstantiis, non tanquam ordinis vere et proprie religiosi, sed uti pissimarum familiarum foeminarum æstimantur. » (*Ibid.*)

Tandem, anno 1854, ad S. Pœnitentiariam facto recurso pro facultate mutandi nonnullas dispositi-